

www.e-rara.ch

**Iusta defensio antiquissimi diplomatis quo Ludovicus imperator
coenobium nobilium virginum Lindaviense nono abhinc seculo stabilivit**

Rassler, Maximilian

Constantiae, anno 1691

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24563>

Caput IV. Quam recte censor dicat: possessionis & praescriptionis immemorialis vim contra
veritatem nullam esse?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CAPVT IV.

Quam rectè Censor dicat : Possessionis & Præscriptionis immemorialis vim contra veritatem nullam esse?

N. I.

Censoris in hac questione sententia.

Monet me res, ut cùm præcedente capite multa dicta sint de Diplomatis nostri vetustate, hîc discutiam; quàm rectè à Censore nostro asserta sint, quæ habet fol. 351. Sunt enim in ijs vera aliqua, alia ambigua, nonnulla etiam manifestè falsa. Hæc invicem discernere operæ pretium est: tantò magis, quòd vir ceterà planè eruditus traditam eo loco à Conringio doctrinam, ut veram, sine discrimine laudet, & approbet; omisso tamen Paragrapho, quem postea demonstrabo certissimè falsum esse. Verba autem Conringij sunt hæc: *Observandum est, præscriptionis immemorialis vim quidem magnam esse, sed non nisi circa veras & propriè, non autem metaphoricè dictas possessiones: verè autem & propriè possideri demum illa posse, quacunque subjacent humano dominio aut arbitrio. In quæ sanè hominibus dominium vel arbitrium non convenit, illa nec verè possideri, nec usucapi ab hominibus possunt. Iam autem veritas aut falsitas enuntiationum*

Abilla.

tionum non obnoxia est dominio aut arbitrio humano : nec ergo poterit quisquam suo arbitrio, quod falsum est verum, quod verum est falsum reddere. Nullus circa veritatem & falsitatem usucapioni, nullus proinde etiam præscriptioni est locus. Per aliquot mille annos licet habitum fuerit verum, id quod falsum est, est nihilominus & in æternum manebit falsum. Iam pridem hoc ipsum ostendi Vito Erbermanno Iesuïtæ, more quorundam Sociorum ineptè jactitanti præscriptionem immemoriam suorum dogmatum. Nulla igitur esse etiam potest vera possessio humana creditæ alicuius existimationis Diplomatis Cœnobialis. In veritatem aut falsitatem ejus nullum competit hominibus dominium vel arbitrium. Nec veritas ejus, nec falsitas potest usucapi. Ac proinde etsi aliquot centenis millibus annorum habitum fuisset Diploma illud verum, reapse tamen adhuc est falsum, & erit perpetuò. Ineptè jactatam existimationis illius antiquitatem nunc non moramur: non sanè illa est magna. Alia autem est ratio ipsarum rerum, de quibus agit Diploma. Ille enim in dominio sunt hominum: adeoque circa illarum possessionem locus est præscriptioni immemoriali. Et verò præscriptionis vim ab ipso esse Naturali, non autem à solo dependere Civili jure; valere quoque in ijs etiam, quorum primus possidendi titulus iniquus fuit: demonstravi cap. 19. operis de Finibus Imperij Germanici n. v. Quæ autem sit ratio possessionum Cœnobij, non est hujus instituti inquirere, quippe qui non nisi in Censura Diplomatis sinus occupati.

Quandoquidem verò nec Præscriptio Diplomatici conciliare apta est vim aliquam contra ea falsi crimina, quæ in eo commissa esse prolixè hætenus demonstravimus, non etiam est cur amplius huic negotio immoremur. Maneat itaque Diploma falsi damnatum, & in Orcum revertatur. Hæc Censor.

N. I I.

*Proponuntur distinctę assertiones in allatis Conringij
verbis contenta.*



Nhis porro, etsi, ut dicebam, vera quædam sunt, non tamen est animus omnia sine discrimine accipere: hoc postremum maximè, quod de itinere ad orcum addit, non placet: nam nec quod ibi nunquam fuit, reverti illuc potest: nec illuc descendere, aut Diploma nobis utile ac necessarium illis flammis lubet comburendum tradere. Est, eritque etiam deinceps, nobis multo usui; ringatur licet Conringius, & quibus ille operam suam addixit. Quamquam ne Conringio quidem expedit Diploma hac tam ipsi inimicum eò mittere, ubi metuo ne ipse sit: fat multa, & multos, etiam sine hoc, ibi habet, quibuscum misero pessimè conveniat. Non est autem, cur mihi quis indignetur, temerè in orco quærenti Conringium: ejus circa Religionem errores etiam scripto propugnati pridem huic suspicioni & timori ansam dederunt. Ceterum, ut vera ab ambiguis & falsis certius ac faciliùs discernamus, proponamus se junctas ab invicem enuntiationes, quæ in allatis Conringij verbis magis minusve distinctæ continentur.

Prima est. Quod falsum aliquando fuit, verum reddi nunquam potest, etsi fortassis diu pro vero sit habitum: neque hîc præscriptioni est locus.

Secunda. Non est Magnum argumentum veritatis, in quæstionibus facti longissimo temporis tractu ab omnibus, etiam quorum intererat non esse verum, habitum esse pro vero, & à nemine esse negatum. Hanc propositionem si Censor non adstruit, nihil ad rem dicit.

Ter-

Tertia. Ne quidem in Dogmatibus Fidei certum est veritatis indicium, diu esse credita, & pro veris habita.

Quarta. Si quæ Tabulæ diu pro veris & legitimis sunt habitæ, cùm quis eruditus falsitatis notas ejusmodi in ijs deprehendit, ut falsas & commentitias meritò judicet; etiam in tribunalibus illæ, non obstante, quòd pro legitimis diu sunt habitæ, vim ultra & robur nullum debent obtinere. Hanc quoque assertionem Censor affirmet necesse est, si prodesse Urbi suæ vult.

Quinta. Locus est præscriptioni etiam in ijs rebus, quarum primus possidendi titulus iniquus fuit; siquidem verè illæ ac propriè possideri possunt.

N. I I I.

Quarta propositio, ex qua de reliquis quid sentiendum apparet, falsitatis manifestè convincitur. Præscriptionis vis non est à solo jure naturali.



Nemo non videt, quàm istæ assertiones inter se diversæ sint, & quàm una alterius veritatem aut falsitatem secum non trahat. De quarta, quæ rectè intellecta multum lucis etiam ceteris affundet, quid sentiendum, lubet audire Alexandrum Wilthemium virum egregiè doctum, cujus sententiam Daniel Papebrochius & Joan. Mabilion de re Diplom. fol. 239. probant; & quam spero probandam cordato cuilibet. Sic autem loquitur apud Papebrochium in Propylæo num. 67. *Ipsa adeò publica instrumenta, recepta in judicijs, obsignata ceris, magnorum nominum roborata scriptionibus, vocantur in controversiam ab historicis: & sepe quod in foro probavit Iudex, in Museo condemnat literatus. Qua in re modum ego adhibuerim, atque ita attemperem omnia, ut Diplomatis*

talibus, quamvis ea meritò rejiciant eruditi à testimonio ferendo in re historica; sua tamen fides & auctoritas coram Prætoribus & Assessorebus maneat. Num. dein 70. sic pergit. Non me quidem fugiunt Jurisconsultorum scita severa adversus scripta falsa atque conficta. Sed valuerint istæ leges contra falsarios: hæc vicaria Diplomata pro falsis atque confictis non habebantur: quippe scripta auctoritate Regum atque Imperatorum, ut summam rei ex vero continerent, hoc est donationes, fundationes, privilegia, & id genus alia. Quæ de cetero Notarij, homines candidi & antiqui moris, condabant ex suo vel dictantium ingenio, ijs adhibitis verborum formulis, personarum NB. nominibus, temporum notis, quæ pro suo captu ad rem esse arbitrabantur. Atque ut ista sine dolo malo in publicum emittebantur; ita minimè argute ac scrupulosè examinabantur in Curia, iudicibus in Summam rei duntaxat intentis &c. Non igitur, quæ sufficiunt vel conjecturæ, vel rationum momenta, ut de antiquorum Diplomatum veritate dubitent, vel ea omnino ut falsa repudient literati in Museo, eadem sufficiunt, ut contra eorum valorem pronuntient in Tribunali Prætores ac Magistratus; maximè si de mala fide non constet, quâ ij, quibus illa concessa finguntur, sint usi. Est enim & Theologiæ, & Legum Civilium consensu magna possessionis vis; & plus longè requiritur, ut quis hâc spoliatur, & ut quibusdam loqui placet, de possessione, quàm ut rem quampiã sibi primò vindicet, eamque possidere incipiat. Hoc enim jure non fit, cum de justo & legitimo titulo ambigitur: continuari tamen potest possessio, cum huic bona fide aditæ, dubia, & hæc etiam non levia, superveniunt. Non licet proinde Judici contra eum pronuntiare, qui pro causa sua affert tabulas, quibus diu sua constitit in tribunalibus fides & auctoritas; licet subinde prodeat literatorum aliquis, qui illas confictas & dolo malo fabri-

fabricatas argumentis verisimilibus ostendat. Quæ cum ita sint, miror profectò, quid tandem Heiderus, quid Conringius, quid Lindavieusis Respublica tanto molimine agant, dum nostrum Diploma tam seriò impugnant? Quid enim quæso omni suo conatu aliud impetrabunt, aut impetrârunt hæctenus, quàm ut de illius veritate & auctoritate legitima pauculi dubitarent literati? ut iudices, ut suprema tribunalia, contra illud, tot Cæsarum suprema auctoritate roboratum, tot lustrorum, quæ utique loco sacro ad præscribenda contra profanum prætenfa sua jura sufficiunt, immo tot seculorum antiquitate venerandum, pronuntient; ut privilegijs & juribus, eo concessis, possidentes privent, id quidem, quamdiu erit æquitati locus, impetrabunt nunquam. At hoc postremum est, quod rebus Urbis sic commodat, ut Parthenoni plurimum officiat; illud nec prodest Urbi, nec Monasterio quidquam affert detrimenti. Dubitent enim Parisijs eruditissimi Stephanus Baluzius, & Joannes Mabillon, Antverpiæ Papebrochius, & siqui sunt alij curiosi scriniorum veterum scrutatores; quid Parthenonis interest, si Tribunal Viennæ Aulicum, si Cæsar, nixus Diplomate antiquissimo, pro ipso pronuntiet, & juribus ex eo provenientibus faveat, illaque tueatur? Quid aliud, quæ tabulis inesse probantur, vitia, possunt, aut debent persuadere, nisi primum possidendi titulum iniquum fuisse? at si Legum peritis, si Conringio ipsi credimus; etiam illa jura, illæ res temporis lapsu præscribi possunt, quorum primus possidendi titulus iniquus fuit. Igitur etsi totum, quod suâ Censurâ spectabat Conringius, esset assecutus, nec hilum de suis juribus decederet Parthenoni; & quamvis non naturali, civili certè jure possideret, quidquid tot annorum spatio tabularum suarum beneficio possidebat. Civili inquam jure, nam, quod Conringius ait, à naturali etiam jure vim præscriptio-

scriptionis esse, non aliter verum est; quàm quòd juri naturali modus per prescriptionem acquirendi non repugnet; non autem quòd solùm naturę jus sufficiat ad aliquem post certum annorum spatium in possessione stabiliendum, quam vel nullo, vel etiam iniquo titulo ipse, aut alius primò adierit. Absit enim humana lex; & patebit, quàm incerta, quàm inquieta sit rerum plurimarum, ac jurium possessio, quam hodie Principum Statuta firmam & immobilem constituerunt. Rerum dixi & Jurium, non veritatis; scimus enim hominibus in veritatem nihil Juris esse; neque cujusquam dominium tam latè patere, ut, quod verum est, falsum, aut quod falsum, verum reddere pro arbitrio possit. Neque vel ego, vel alius unquam Monasterij hyperaspistes tam fuit infans, ut hoc mortalium ulli per suasum vellet; Præscriptionis beneficio, quæ falsa & conficta sunt, vera & legitima effici posse.

N. I V.

Contra veritatem nullo seculorum beneficio prescribi potest.



Tanseo proinde ad primam enuntiationem, quam libenter fateor verà veriore esse, nec ullo vel temporis, vel legum humanarum beneficio fieri posse, ut vera de veris in falsa, aut hæc in illa mutantur. Hoc enim perinde esset, ac facere de infectis facta, de factis infecta; fuisse, quod non fuit; non fuisse quod fuit, quæ sunt ipsis chimæris magis chimærica. Dubium idcirco non est; quin, si nostrum Diploma falsum, si ab aliquo confictum reapse aliquando fuit, tale in æternum maneat; & verum, aut non confictum, reddi nullo modo, aut tempore possit. Tanto verborum ambitu, quid

quid aliud dixisti Conringi, quàm quod qui ignoret, ne homo quidem sit, sui & rationis compos? injuriam nobis facis, si dicis, cuiquam nostrum in mentem venisse, de hoc ambigere. Non istud est, quod Monasterij Patroni ætatis, & seculorum beneficio effici dicunt; sed illud duntaxat asserunt, quod secunda propositione negatur: illud asserunt, quod ipse affirmas; ætate, & continuata possessione tandem legitime possideri, quod initio, nullo aut vitioso titulo possessum est.

N. V.

Argumentum veritatis magnum est; diu esse habitum pro vero, etiam ab ijs quorum intererat esse falsum.



Uam igitur vero consentanea est assertio, quod nulla ætas, nulla secula, nullæ leges efficere ullo modo possint, ut quod falsum est, tale esse definat, tam altera longè à vero abit: quod non fit indicium veritatis; longo seculorum tractu habitum esse pro vero, sic, ut inventus sit nemo, qui negarit, quantumvis multorum interesset rem non ita se habere.

Nam profectò aliquid etiam valet humanum testimonium; nec potest esse, nisi ipsius veritatis vis, quæ omnibus idem persuadeat, sic ut in diversa per plura secula abeat nemo.

Igitur cum Diploma nostrum per tam longum seculorum tractum pro vero ac legitimo, minimèque confictio sit habitum; hæc scilicet tot seculorum & hominum, atque adeò ipsius Urbis, ex qua ante Heiderum illud nemo impugnavit, testimonia, non leve sunt, si non omnino certum, veritatis indicium ac argumentum.

Cui enim prudentum tot testium vel fides, vel scientia meritò possit esse suspecta? maximè cum in re versetur,

cujus veritas non aliunde facile, quàm hominum asseveratione cognosci possit. Physicis certè, aut metaphysicis ex fontibus non video, quid possit pro illa stabilienda defumi.

Quanquam & hæc, quæ causas altiores paratas habent, vel in ipsa sunt rerum natura fundata, hoc ipso quòd accipiuntur ab omnibus, illustre habent veritatis præjudicium: & Zenonem, qui motum ex loco in locum impugnavit, fatis præter cetera humani generis in eo agnoscendo consensus confutat. Hinc illa veri à Philosopho prolata notio: *Verum est, quod omnes dicunt.*

Non solet enim natura suomet velut pondere inclinare ad id, quod naturæ rationali malum est; malum autem est error; in hunc ergo naturæ impetu non ferimur: ferimur autem in id, quod nemo negat, omnes accipiunt.

Plus haberent ista, quæ modò affirmavimus, roboris, si Diplomatis nostri notitia ad plures emanasset; & tamen ab omnibus semper pro vero agnitum esset. Sed tunc eo testimonio non verisimile duntaxat, sed planè verum reddetur, ut modo cum Aristotele dicebamus; verum esse, quod omnes dicant. Nunc sufficiat: Multorum, & omnium, qui aliquid de illo sciebant, unanimi per plura secula asseveratione & acceptatione Diploma nostrum redditum esse vero longè simillimum; & multò plus ab adversa parte requiri, ut illud ostendat falsum, quàm à nobis requiratur, ut

inter vera ac legitima locum illi
vindicemus.



N. V I.

In vera Religione, quæ diu sunt credita, certò sunt vera.



Am illud facere non possum, quin paucis perstringam, quod ait Censor: se contra Vitum Erbermannum demonstrasse: Ne quidem in dogmatis fidei certum esse veritatis argumentum, quòd plura per secula in Ecclesia pro veris sint agnita: quæ erat tertia ex ijs, quas paulò ante posuimus, assertio.

Non facit hoc quidem ad præsentem causam: quia tamen loco non suo triumphum canit de devicto Jesuita Conringius, dicamus & nos tria verba pro veritate, quam posset apud minùs attentum mirabilis istius hominis confidentia reddere suspectam.

Quid igitur, Conringi, falsum esse potest, error esse potest, quod diu in Ecclesia pro vero est habitum, & inter Religionis dogmata numeratum? nam de ijs profectò sermo erat Erbermanno, non de alijs; quæ sive credas, sive discredas, orthodoxus nihilominus haberis. Cetera, quæ ad fidem non pertinent, haud dubiè non ideò vera & indubitata sunt, quia à multis diu credita. Possunt esse falsa, & talia si sint, præscriptionis beneficio vera nunquam redduntur, ut diximus: nec hoc potuit Erbermannus ignorare. Sed sit hoc etiam verum de ijs, quæ Ecclesia Catholica aliquamdiu omnibus credenda proponit; possint, quoniam ita vis, etiam hæc tamen esse falsa. Jam hoc dato, nihil in Ecclesia constans, nihil certum, nihil fide firmissima recipiendum. Nam si falli potest Ecclesia in uno aliquo dogmate, falli potest in quolibet. Cur enim in uno potiùs, quàm in altero? cur potiùs in captu facilioribus, ut est numerus Sa-

cramentorum, quàm in magis abstrusis & reconditis, ut est illud tam intellectu difficile Dei Triunus arcanum? Ex hoc certè, quòd falli vel in unico potest, non possum jam assentiri sine formidine propter ejus docentis Authoritatem. Sola loquentis summa veracitas, sola ab errore tam in cognoscendo, quàm affirmando immunitas dubitare credentem non sinunt: quare si fallere, aut certè falli loquens potest, ut potest Ecclesia, si aliquando proponere potest dogma falsum pro vero, non est locus assensui firmissimo fidei, & omnem metum excludenti. Si tali assensui locus non est, nulla est uspiam Fides, nulla Religio: quæ est Cœtus non opinantium, sed firmissimè credentium. Si nulla Fides, nulla Religio, nullus quoque Deus: quî enim Deus sit, qui verâ Religione coli nec potest, nec vult? certè si vellet, veram Ecclesiam, veram Religionem constituisset.

Igitur ad caput redeundo; quàm certum est Deum esse, tam est indubitatum, Ecclesiam in proponendis quæ credenda sunt, errori penitus non esse obnoxiam; atque adeò quidquid illa credi vult, vero esse verius, & quod consequens est, quidquid plura per secula in illa creditum est, notam habere veritatis certissimam, & à nemine posse in dubium vocari.

Quomodo ergo, ut tute præfidenter jactitas, Conringi, demonstrâsti contra Erbermannum; quod diu creditum est in vera Ecclesia, falsum esse nihilominus posse? hoc enim volunt tua illa verba, *Præscriptioni immemoriali in dogmatis fidei locum non esse.*

Unum est, quod respondere hîc possis. Cœtum Catholicorum, quos dicimus, veram Ecclesiam non esse: atque adeò, etsi decipi & errare Ecclesia non possit, decipi posse Catholicos; & diu tenere pro vero, quod falsum sit.

Hîc punctum tangis, & unicam, lites, quæ inter nos sunt, finiendi rationem, Osten-

Ostendendum nimirum est ante omnia , quis sit in terris rite credentium Coetus; tum ab hoc sine cunctatione & exceptione admittendum, quidquid ille proposuerit. Absque hoc litium, controversiarum, dubiorum, finis nullus, quia unusquisque in sensu suo abundabit. Notas autem, quibus se Coetus noster præ ceteris omnibus veram Ecclesiam probat, tot dabimus, si voles, & tot jam à Scriptoribus nostris, & nuper primùm ab uno aliquo viro omnibus meis encomijs majore, tam eruditè, doctèque allatæ sunt, ut cæcus planè sit, qui hanc lucernam super candelabrum, hanc civitatem supra montem positam non videat. Dic tantùm: si qua in Mundo Ecclesia vera est, & nostra non est, quæ quæso est? vestra Lutheranorum? Potésne hoc dicere, & non erubescere, aut saltem non in sinum ridere? Coetum nuper ortum, paucis in Europæ angulis conspicuum, sibi tam dissimilem, & in credendo varium, (taceo laudes ceteras, ne nimium te efferas) cum Romana Ecclesia non confers modò, sed præfers etiam? interim certissimum habeto, quidquid unquam à vera Ecclesia creditur, multòque magis si diu creditur, verum esse; & te, tuosque commilitones in illo impugnando oleum planè & operam hætenus perdidisse, perdere, & deinceps omnem perdituros.

Atque ita quænam ex quinque enumeratis assertionibus vera, quæ ambigua, quæ falsa, abunde mihi videor demonstrasse: nam de quinta quid sentiendum, num. 3.

sub finem est indicatum. Ad rem ipsam propiùs accedimus.

* *
*

